



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR

§. I.

An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante.

Nomine Sedis in hoc Tit. intelligitur, Sedes Episcopalis, aut alia Prælatūra, in cuius præjudicium innovare aliquid, vacante sede tali, prohibitum est in *h. tit.* Quamvis enim jurisdictio, & administratio rerum Episcopaliū ad Capitulum, vacante Sede, transeat, ut ex *Lib. 1. Decretal. Tit. 31. De major. & obed.* patet; ea tamen facere prohibetur, per quæ status Ecclesiarum mutarentur, aut bona Prælaturæ, vel Ecclesiarum, per alienationem v. g. bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, minuerentur, &c. nisi hoc fieret cum licentia Summi Pontificis, aut cum licentia Episcopi, vacante Prælaturâ inferiore, Episcopo subiecta, circa bona talis Ecclesiæ inferioris.

Mutari autem status Ecclesiæ, quod prohibitum est in hoc Titulo, vacante Sede, censeretur, si unio v. g. Ecclesiæ alicujus alteri unitæ dissolveretur. *c. Novit. 1. h. t.* & quamvis, vacante Sede, possit fieri unio Ecclesiarum, non potest tamen fieri dissolutio unionis prius factæ, cum per illum casum nulli Ecclesiæ fiat præjudicium aliquod, sicuti fit per dissolutionem unionis, Ecclesiæ illi, cui altera ad meliorem Restoris, vel Epi-

scopi sustentationem, unita fuit, eo quod scilicet dissolutâ unione ad eam potestatem Ecclesia relaberetur, cum illa fuit ad hanc sublevandam unio, in qua prius fuerat.

Insuper etiam ad cavendam commutationis speciem, vacante Sede prohibita, non vult Pontifex in *c. Constitutus 2. h. t.* ut iudicium aliquod de iuris, aut iuribus Ecclesiæ, vacante Sede inchoetur, aut inchoatum continuetur, sive agendo, sive defendendo, extra casum magnæ necessitatis, & nisi decessor Ecclesiæ sit constitutus) si extra præjudicium contra minores indefensas teneat, multo minus tenebit hoc contra Ecclesiam, si suo Pastore, & decessore destituta sit.

§. II.

An, Sede vacante, Capitulum possit conferre beneficia?

Quod non possit, Sede vacante, Capitulum conferre ea beneficia, quæ liberæ sunt collationis, aut jure devolutionis ab Episcopo conferenda esse, non sit autem præsentatos instituire, & electos confirmare, si institutio, aut confirmatio jure proprio ad Episcopum pertinet, ex *Tit. 33. De major. & obed. Lib. 1. Decret. sect. 2. §. 3.* jam patet, ut patet ex *c. Illa 2. h. t.* Quod si tamen collatio beneficiorum simul ad Episcopum & Capitulum communiter pertinet, ut patet